UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Epistolæ obscvrorvm virorvm

cvm inlvstrantibvs adversariisqve scriptis

Textvs

Hutten, Ulrich von

Lipsiæ, 1864

27. Magister Wilhelmus Storch

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-976

Visual Library

tur aliter quam ovum, donec est natus. Et dixit mihi quod est sicut de Caseis in quibus aliquando sunt vermes, et in cerasis, et in pisis et fabis recentibus, sed tamen comeduntur in sextis feriis, et etiam in vigiliis Apostolorum. Hospites autem ita sunt pultroni quod dicunt quod sunt carnes, ut habeant plus pecuniam. Tunc ego abivi et cogitavi desuper. Et per deum, Magister Ortvine, ego sum multum turbatus et nescio quomodo debeo me regere. Si vellem libenter consilium querere ab uno curtisano, tunc scio quod non habent bonas Conscientias. Videtur mihi quod istę iuvenes gallinę in ovis sunt carnes: quia materia est iam formata et figurata in membra et corpus animalis, et habet animam vitalem. Aliud est de vermibus in caseis et aliis: quia vermes reputantur pro piscibus, sicut ego audivi ab uno medico qui est valde bonus Phisicus. Ergo rogo vos multum cordialiter quatenus velitis mihi respondere ad propositam quęstionem. Quia si tenetis quod est peccatum mortale: tunc volo hic acquirere unam absolutionem, antequam vado ad Almaniam. Etiam debetis scire quod Magister Noster Iacobus de Hochstraten acquisivit mille florenos ex banco: et credo quod lucrabit causam, et diabolus confundit illum Ioannem Reuchlin et alios poetas et iuristas, quia volunt esse contra Ecclesiam dei, id est contra Theologos, in quibus est fundata ecclesia, ut Christus dixit 'Tu es Petrus et super hanc petram ędificabo ecclesiam meam'. Et sic commendo vos domino deo. Valete. Datum in Urbe Roma.

27.

Magister Wilhelmus Storch
Magistro Ortvino Gratio
Salutem plurimam dicit.

Quid est quod multum scribitis mihi de vobis et tamen non repręsentatis mihi semel illum librum quem scripsistis contra Iohannem Reuchlin. Et scribitis mihi quod habuistis bonum ingenium quando composuistis illum librum, et creditis quod talis liber erit multum notabilis, ita quod unus impressor voluit vobis dare viginti florenos quod mitteretis eum imprimere. Et scribitis mihi quod vultis mihi mittere copiam, quod debeo ostendere hic Curtisanis et copistis, et vexare eos, quia non volunt credere quod in Almania sunt etiam ita bene poetę sicut in Italia. Et esset

---

1 . ꝛ *5.* 5 . tūc *5.* 6 M. *4.5.* quo *5.* 7 querere *5.* 8 conſcientias videtur michi *5.* e *4.* ę *5.* 10 . aliud *5.* 13 michi *5.* 16 M. N. *4.5.* 18 Io. R. *4.* Io. Reuc. *5.* 19 . Ideſt *4.* . Id eſt *5.* 20 criſtꝰ *4.* 21 Rhomana. *5.* 23 M. *4.* Ma. *5.* 24 M. *4.5.* 25 Salu. P. D. *4.* . ſalutē P. D. *5.* 26 michi *5.* *et tum iterum.* 27 Ioā. *5.* 28 mī *5.* 29 : et *4.* Ita *4.* . Ita *5.* 30 .xx. *5.* 31 mī *5.* mī *5.* 32 vexat *5.* . Quia *4.5.* 33 e *4.* ę *5.*

bene bonum quod mitteretis mihi eum. Sed non facitis: et tamen semper scribitis quod vultis facere. Et rogo vos quod velitis mihi mittere illud dictamen seu librum. Quia volo hic vexare aliquos copistas, qui credunt quod nemo scit aliquid quam ipsi. Etiam reprehendunt hic carmina mea quando aliqua scribo, dicentes quod non sunt bene compilata. Videatis tamen si est verum, quia hic mitto vobis unum quod composui nuper quando Magister Noster Hochstrat advenit et posui ad Pasquillum in honorem illius doctoris: quia est vir singularis et defendit fidem Catholicam contra multos hęreticos. Et est tale Carmen:

¶ Carmen Magistri Wilhelmi Storch Daventriensis
quod composuit ad Intronisationem Reverendi Patris Fratris
Iacobi de Hochstrat ordinis prędicatorum Magistri nostri
et inquisitoris hęreticę pravitatis.

Notum sit hic omnibus parvis necnon senibus,
Qualiter unus Magister noster, qui est doctus excellenter,
Et vocatur Iacobus de Hochstraten, quod est suum proprium nomen,
Est in hac Civitate, et vadit cum magna gravitate:
Sed venit ex Almanię partibus, ubi collegit multos caseos
In magna quantitate; et in una universitate
Tandem fuit graduatus, et in Theologia qualificatus;
Quia ibi subtiliter disputavit, et multos sillogismos formavit
In Baroco et Celarent, ita ut omnes admirarent.
Quod videntes ibi Theologi, qui sunt in fide zelosi,
Fecerunt eum inquisitorem, contra hęreticam pravitatem.
Sed posset aliquis quęrere, 'quid vult talis hic facere?'
Advertatis diligenter: quia dico vobis libenter:
Est ibidem in Almania unus doctor in iuristria, [tatur
Qui Iohannes Reuchlin vocatur: ille per hunc Magistrum nostrum ci-
Ad Romanam Curiam: quia scripsit unam materiam,
Quę non est Theologicalis: sed videtur esse hęreticalis:
Quia habet multas propositiones in fide scandalizativas.
Et debet notum esse vobis, quod ille liber favet Iudęis,
Et propterea est suspectus: Ergo nuper ab illo inquisitore perlectus,
Fuit ad ignem damnatus, et autor ad revocationem vocatus.
Etiam sciatis istum librum Speculum Oculare dictum.
Sed ille magister noster iam venit ad Romanam curiam

---

1 bene *omis. 5.* michi *5. et sic* 4 *sqq. ll.* 7 M. N *4.* M. N. *5.* paſtquillū *4.5.* 8 . Qꝛ *4.5.* pr̃is Fra. Ia. de Ho. oꝛd. *4.* Pr̃is Fra. Iaco. de Ho. Oꝛd. pꝛedi. *5.* here pꝛa. *4.* Here. pꝛauit. *5.* 1 nec non *5.* 5 ę *4.* e *5.* 8 ſyllogiſmos *5.* 10 Qnod *5.* 15 Ioannes *5.* 16 Rhomanam curiam. Quia *5.* 17 e *4.* ę *5.* 18 Fide *5.* 21 author *5.* 23 rhomanam Curiam. *5.*

Ad perficiendum illud negocium, quia Theologi non permiserunt ei ocium,
Donec huc veniret, et faceret quod ille iurista periret.
Ergo debetis eum honorare, et reverenter salutare,
Quando est vobis obvius: quia est valde disputativus,
Et quantum ad primas intentiones paucos habet similes.

¶ Ipsi dicunt quod non est recte compositum seu comportatum in pedibus suis: Et ego dixi: Quid ego curo pedes? Ego tamen non sum poeta sęcularis, sed Theologicalis, et non curo nec habeo respectum ad ista puerilia, sed tantum curo sententias: Quapropter, domine Ortvine, debetis mihi omni modo respondere ad hoc dictamen, et debetis litteras ponere in bancum. Etiam volo vobis nova scribere, quod quidam homines qui vocantur Hispani, vadunt ad Lombardiam: et dicunt quod Imperator vult expellere regem Francię, quod non esset bonum pro Magistro Nostro de Hochstraten, quia ipse per regem Francię sollicitat negocium suum apud Sanctissimum, et Christianissimus rex multum petit pro eo, propter honorem universitatis Parrhisiensis, quę scandalizaretur ex hoc, si Speculum Oculare non combureretur. Sed iam nihil magis scio. Valete in gaudio. Datum Romę.

28.

¶ Magister Bernhardus Gelff
unus ex minimis
Magistro Ortvino Gratio
Salutem.

Honorabilis seu prędstans vir, quamvis non habeo notitiam vestri quoad personam, tamen quoad famam novi vos Et iamdudum est quod intellexi de Causa vestra quę vocatur Causa fidei contra Iohannem Reuchlin, et habeo mecum totum processum. Et disputo cottidie cum Curtisanis et Copistis qui defendunt Iohannem Reuchlin. Et quando iste Cursor prędsentium lator dixit mihi quod vult ire ad Almaniam et per Coloniam habet facere iter, dixi 'Tunc per deum sanctum ego volo contrahere notitiam cum Magistro Ortvino et scribere ei unum dictamen'. Tunc ille dixit 'o per deum faciatis: ipse multum gaudebit. Et dixit mihi quando exivi Coloniam, „Dicatis omnibus Theologis et magistris et Artistis et poetis qui sunt Romę,

---

4 et] atq3 *5.* 11 lr̃as *4.* literas *5.* 12 M. N. *4.5.* 19 Rhome. *5.* 21 M. *4.5.* 23 M. *4.5.* Gra. *4.* Gra. *5.* 25 Venerabilis *5.* noticiã *5.* 27 ę *4.* ę *5.* Ioannem *5.* 28 cotidie *5.* 29 Ioan. reuchlin ꝛ *5.* 30 michi *5.* *ut et in sqq.* 31 : dixi tunc *5.* M. *4.* Ma. *5.* 34 Rhome *5.*